



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 8. Quomodo, & in quo situ impleri debet satisfactio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

etiam malis, ac ærumnis hujus vitæ patienter propter Deum toleratis.

Q. 7. Quando nam Pœnitens tenetur implere Pœnitentiam?

Resp. Tenetur tempore à Confessore præscripto; nam circumstantia temporis in præcepto includitur. Dilatio tamen satisfactionis ad paucos dies, etsi sine necessitate, potest esse tantùm venialis, nisi ad finem iniunctæ pœnitentiæ magni referat illam impletam esse tempore præfinito, v. g. ad superandas tentationes urgentes. Quod si Confessor nullum tempus determinavit, tenetur pœnitens satisfactionem implere quàm primùm commode potest; ita ut peccet mortaliter, si illam ex gravi negligentia diu differat: nam integritas Sacramenti, & ratio debiti, iustæ satisfactionis, ac Medicinæ, & rationabilis intentio Confessoris executionem celerem exigunt.

Qui autem Pœnitentiam quocumque modo distulit, tenetur eam postea, quàm primùm potest persolvere: nam dilatio solutionis debiti ultra terminum, non liberat debitorem onere illud solvendi; & intentio Confessoris est, ut satisfactio absolutè fiat; tempus verò præfinitur solùm ad non differendam solutionem.

Q. 8. Quomodo, & in quo statu impleri debet satisfactio?

Resp. I. Satisfactio impleri debet ex motivo

pio,

pio, ac supernaturali, & sine affectu ad mortale: quia satisfactio Sacramentalis est pars integralis Sacramenti, & actus virtutis pœnitentiæ præceptus ad compensationem quamdam iniuriæ divinæ: ergo debet esse actio moraliter bona, supernaturalis, elicitæ saltem ex motivo placandi Deum, eiusque iniuriam compensandi. Quæ voluntas est impossibilis cum affectu ad mortale.

Resp. II. Qui Pœnitentiam in peccato mortali exequitur, peccat saltem venialiter: quia Sacramenti partem indignè suscipit; & ponit obicem effectui, nempe remissioni pœnæ temporalis, quæ est effectus secundarius, pendens à primario, nempe gratiâ sanctificante. Tamen ex communiore sententiâ talis non tenetur postea satisfactionem repetere, eò quòd substantiam præcepti impleverit; & quia in Ecclesia veteri exigebatur saltem magna ex parte executio satisfactionis ante absolutionem, ac proinde ante remissionem peccatorum saltem ordinariè; nam perfecta Contritio satis est infrequens. Imò iuxta multos sicut Pœnitentiæ ante absolutionem implendæ iussu Confessoris, reatum pœnæ temporalis tollunt, cum peccatum postea per absolutionem remissum fuerit: ita pœnæ post absolutionem peragenda, etiamsi in peccato postea superveniente impletæ fuerint, tamen sublato per iustificationem obice suum effectum assequuntur.